



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 55. Continuata de Sancto Ignatio Historia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.

§. LV.

*Continuata de Sancto Ignatio  
Historia.*

*Bouhours  
vie de S. Ig-  
nace lib. 6.  
p. 421.  
Moffæ. ib.  
l. 2. c. 20.*

Hucusque Sanctus Ignatius solus om-  
nium, quæ in Societate gereban-  
tur, auctor, ac unica veluti anima am-  
plissimi hujus corporis sese indies ma-  
gis, magisque per varias orbis regiones  
diffundentis extiterat: tandem vero  
corporis sui viribus per tot labores  
penitus exhaustis, ac per plures mor-  
bos attritis, quemdam sibi socium, quo-  
cum supremi Regiminis curam partire-  
tur, feligere voluit: Itaque omnibus  
Societatis Presbyteris tum Romæ agen-  
tibus, huncque in finem convocatis  
electus fuit Hieronymus Nadalus, qui  
ex Hispania, quo ob Societatis nego-  
tia contenderat, non ita pridem re-  
versus erat. Ignatius ratam habebat  
hujus Viri electionem; illum enim tan-  
quam Virum longa rerum experientia  
insignem venerabatur: Porro ceteri pe-  
tebant, ut Nadalus se Vicarium, seu  
Generalis Commissarium nominaret;  
ast ille non nisi simplicis Religiosi nomen  
adoptare voluit. Nihilominus Ignatius  
adhuc infirmorum curam sibi reserva-  
bat, necnon soli huic muneri intentus  
solita sua charitate ægrotis inserviebat,  
atque ex propriis, quibus afflictabatur,  
malis

malis ceterorum miseriis compati didi-  
cerat, ratus, quod Superior illorum,  
qui ei tanquam Patri suo subjiciuntur,  
necessitatibus ipsemet subvenire adstrin-  
gatur. Insuper Ignatii studium, quo pro-  
ximum fovebat, sese etiam ad captivos  
extendebat; quippe vix sensu compre-  
hendi poterat, quantos adhibuerit co-  
natus, quotve amicos sibi conciliare  
fategerit, ut quemdam Patrem natio-  
ne Gallum ex Hispania reducem, qui  
a Piratis Algerianis ad Siciliæ oram  
captus fuerat, in libertatem assereret.

## §. LVI.

*S. Ignatius de proxima mortis suæ  
hora admonitus.*

Ignatius cum piis hisce exercitiis  
intentus suas vires continuo ma-  
gis deficere, vitæque suæ finem in-  
stare præsentiret, sui Scribæ Socium  
adesse iussit, eique veluti pro testamento  
quædam dictabat statuta, in quibus de  
obedientiæ virtute, necnon de debita  
erga Superioris voluntatem submissione  
agebat, cum illam veluti speciale So-  
cietatis insigne, animamque reputaret.  
Ab illo temporis articulo nonnisi de  
proxima mortis lucta cogitabat: tria  
vero, priusquam e vivis excederet,  
adimpleri exoptabat, & quidem primo,  
ut exercitationum spiritualium liber a

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.

Orland.  
hist. Soc.  
l. 16. n. 93.  
§ 94.  
Bouhours  
l. 5. p. 421.